

hoc est prior ratione omnimodæ perfectionis; quum, etsi sit prior perfectio, semper tamen est talis; adeoque posterior, & descendens, a ratione omnimodæ perfectionis, de qua loquemur inferius. Ad Rationes dicimus ad I. Negativum posse esse utcumque distinctivum, & quidem primo distinctivum, secus vero constitutivum; & quanvis dicatur, primum distinctivum esse ultimum constitutivum, tamen hoc ipsum de positivo intelligitur, non vero de negativo. Homo quanvis a leone distinguatur per hoc, quod leo sit rugivus, & homo non; sicque non rugivitas est primum distinctivum hominis respectu leonis, qui est rugivus; non per hoc tamen est ultimum ejusdem hominis constitutivum, quia hoc positivum distinctivum est, non negativum. Ita pariter; Deus distinguitur a creatura, quia creatura est dependens, Deus non est dependens; *T*o non dependens licet sit primum distinctivum Dei respectu creaturæ, quæ ultimo constituitur, & primo distinguitur, per dependentiam; non per hoc tamen est ejusdem Dei ultimum constitutivum, quatenus non consistit in positivo, sed in negativo. Ad III. negatur, quod aseitatis sit primum prædicatum in Deo. Ex alio enim oritur, in quo nos divinam essentiam metaphysice sumptam constituemus.

Dicimus III. Infinitatem radicalem non esse ultimum divinæ essentiae constitutivum. Probatur. Dum dicitur, quod radicalis infinitas ultimo Dei essentiam metaphysice sumptam constituit, ratio formalis essentiae, vel cadit in infinitate, qua tali, qua scilicet in infinitate, vel in tali infinitate, scilicet radicali? Si primum? Ergo Dei essentia erit communis creaturis; prædicatum enim infinitatis qua tale, præscindens scilicet a tali, vel tali infinitate, communicabile est creaturis; ut ex Philosophicis supponimus. Si secundum? Ergo coincidit hæc sententia cum illa in conclusione I. jam confutata. Probatur consequentia hæc. Dicere, quod in infinitate radicali consistat, idem est, ac dicere, quod in omnium Attributorum infinitate consistat; sed in omnium Attributorum infinitate consistere est consistere in omnium Attributorum collectione; ergo coincidit cum sententia in conclusione I. jam confutata. Probatur major. Infinitas radicalis est infinitas in omni genere; ergo est infinitas in omnium genere Attributorum; ergo dicere, quod in infinitate radicali consistat, idem est, ac dicere, quod consistat in

omnium Attributorum collectione. II. Infinitas in Deo oritur ab Aseitatis: ergo non est prædicatum divinæ essentiae constitutivum. Probatur antecedens. Ideo Deus est infinitus, quia est illimitatus; ideo autem est illimitatus, quia non habet, qui sibi terminum in perfectione præferat: ergo ideo illimitatus, quia non est ab alio: ergo, quia est a se: ergo ab aseitatis oritur infinitas. Illa ultima causalis probatur. Ens finitum ideo est finitum, quia tantam habet perfectionem, & non majorem; tantam autem, & non majorem, a se non habet, sed ab alio; ab illo scilicet, a quo & perfectionem habet, & limitationem perfectionis: ergo in tantum ens finitum perfectionem habet finitam, quia est ab alio: ergo ens infinitum ideo habet perfectionem infinitam, hoc est non limitatam, quia non est ab alio: ergo quia est a se. III. Essentia dicitur formaliter esse subsistens; sed infinitas dicitur modum imbibitum in omnibus Dei perfectionibus: ergo nequit essentiam Dei metaphysice constituere.

Arguunt I. Infinitas radicalis est prædicatum proprium ipsius Dei, ita ut nullo modo possit alteri convenire: ergo per ipsum distinguitur Deus ab omni alio, quod non est Deus. Consequentia sequitur; antecedens negari non potest; nulla enim datur, vel dabilis est, creatura, quæ in omni genere sit infinita. II. Deus ideo est a se, quia est infinitus. Si enim infinitus non esset: ergo finitus: ergo limitatus: ergo ab alio limitatus: ergo non a se: ergo potius aseitatis ex infinitate oritur. III. Omne, quod est in Deo, debet esse infinitum; ita ut si infinitum non sit, Deus non sit: ergo signum est, quod in infinitate consistat Divinitas.

Respondemus ad I. existere per essentiam, esse actum purum, esse omnimode immutabilem, esse a se, taliter sunt prædicata propria ipsius Dei, ut nulli alteri possint, præter Deum ipsum, convenire: ergo, ex Adversariorum ratione, non minus in infinitate, quam in adductis aliis attributis, Dei essentia consistet, Aliquid aliud igitur requiritur præter hoc; & est quidem esse primum respectu aliorum attributorum; quod infinitati radicali non convenit. Ad II. dicimus, aseitatem inferri ex infinitate, non a priori, sed a posteriori; a signo scilicet: Attamen infinitas ex aseitatis infertur, quasi a priori. Æque enim dici potest: Deus est a se: ergo est infinitus. Et Deus est infinitus: ergo est a se; sed non eodem modo. Pariter æque dici potest: ho-